בש״ש

DISSERTATIO TH
DE
CINE
IN SACRI

QVAM

SVB PRÆS

DN. D. JOANNIS SC

CONSISTORII ELEC

DVCALIS ASSESSORIS, ALV

RALIVM EPHORI, COLLEGI

NIS PRÆPOSITI, ACADEM

EIVSDEMQVE SVBSI

DOMINI PATRONI, P

AC HOSPIT

OMNI HONORIS ATQVE OB

AD CINERES VSQVE

IN

AVDITORIO THEOLOG

D. XV. DECEMBR. A. R. S

PLACIDÆ ERVDITO

SVBMITTET

AVTOR RESPOND

FRIDERICVS Lebrech

CYGNEA · MISN

PHIL. BACCAL. ET. SS. TH

LIPSIÆ, Typis JOANNIS A

בש"ש

O THEOLOGICA,

DE

ERVM

RIS VSV,

QVAM

ÆSIDIO

IS SCHMIDII, P.P.

LECTORALIS ET

S, ALVMNORVM ELECTO-

OLLEGII B. MARIÆ VIRGI-

CADEMIÆ DECEMVIRI,

E SVBSENIORIS,

ONI, PRÆCEPTORIS

OSPITIS,

QVE OBSERVANTIÆ CVLTV

QVE PROSEQVENDI,

IN

OLOGORVM PAVLINO,

R. A. R. S. M DCC XXII.

VDITORVM Συζητήσει

MITTET

ESPONDENS,

Lebrecht GOETZIVS,

A. MISNICVS,

T. SS. THEOL. CVLTOR.

NNIS ANDREÆ ZSCHAU.

VIRO.
SVMME. REVERENDO. EXCELLENTISSIMO.
AMPLISSIMOQVE.
DOMINO.
CHRISTIANO. Gotthülff.
BLVMBERGIO.
HÆREDITARIO. in Hartmansdorff.
SS. THEOLOGIAE. DOCTORI.
CELEBERRIMO.
DIOECESEOS. CYGNEAE. EPHORO. LONGE.
MERITISSIMO.
PARENTI.
MEO. PLVS. QVAM. FILIALI. PIETATE. AD.
CINERES. VSQVE. DEVENERANDO.
HAS.
MEDITATIONES. CINERICIAS.
CEV. STVDIORVM. ACADEMICORVM.
PRIMITIAS.
EXIGENTE. SIC. PIETATE.
PRO.
AMORE. PLANE. SINGVLARI.
AFFECTV. VERE. PATERNO.
BENEFICIIS. INNVMERIS.
D. D. D.
OBSTRICTISSIMVS. OBSEQVENTISSIMVSQVE.
FILIVS.
AVCTOR.
FRIDERICVS. Lebrecht. GOETZIVS.

HONORATISSIME DOMINE

PARENS,

AVrea illa, qua gratum Arabes commendant animum, ſententia: اَلنِّعْمَةُ اَوَابِدُ فَقَيِّدُوهَا بِالشُّكْرِ *Beneficia ſunt fugacia: ſed ligate ea gratiarum actione*; mihi vel inprimis ad id, quod mearum partium eſt, ex-

exequendum, aurem vellicat. Namque quoties ſingularia beneficia, quibus me hactenus mactaſti, Animus recolit, toties & gratæ mentis Argumenta pietas exigit. TIBI enim, ſi à Deo diſcedam, me totum debeo. Tantum amorem, tantum affectum TVVM ac beneficia Paterna, quæ imbris inſtar in me hactenus deſtillarunt, qua dexteritate, quo niſu, quo ardore compenſare poſſim, haud apparet. Siquidem cum, ſic

moderante Deo, in Viduum OPTIMAE MATRIS Thorum olim ſucceſſeris, ita ſucceſſiſti, ut nullas ſentiremus vices, ob ſingularem ac plus quam Paternum affectum ac merita plane conglomerata; ut adeo *Vitrici* Titulo TE, tam calide in me affectum PATREM afficere, religioni mihi ducam. Huic amori reſarciendo cum vires meæ, cineris inſtar, fragiles ac tenues, nec ſufficiant, nec reſpondeant, Affectum tamen,

ſi

ſi non Effectum mitiori oculo TE reſpecturum, totus confido. Vt tamen aliquod ſaltim gratæ mentis τεκμήριον exſtet, haſce pagellas vere cinericias ea, qua decet, obſervantia, devota mente TIBI offero, obnixe precatus, velis illas æqui bonique conſulere, & ſi non ſaliente, ſaltim connivente dignari ocello. Ego interim ardentiſſimis nunquam non Deum defatigabo votis ac precibus, velit omnia bonorum genera largo

foe-

foenore in ſinum TVVM re-
metiri, TEque ad Neſtoris an-
nos in Eccleſiæ commodum,
meamque tutelam fartum te-
ctum conſervare! Cæterum
TVVM favorem ac affectum
Paternum & inpoſterum, ſi me-
reor, in me derivabis. Vale
ex voto. Scrib. Lipſiæ d. XI. De-
cembr. A. S. R. MDCC XXII.

PRÆ-

ב״ה

PRÆFAMEN.

RES primo aſpectu admodum viles & nullius fere pretii, uſu tamen ſuo haud deſtitui, ipſa experientia docet. Cinis, qui alga vilior videtur, exemplum ſatis luculentum exhibet. Vt enim alios ejusdem uſus ſicco pede tranſeam, inter eos certe non infimum ſibi locum vindicat, quem in Sacris

Judæorum, Gentilium atque Christianorum olim obtinuisse, nec hodie prorsus obsolevisse, deprehendimus. De quo cineris in Sacris Vsu cum nemo adhuc, quantum mihi constat, ex instituto egerit, me laterem nequaquam lavaturum esse, credidi, si in illum usum paulo accuratius inquirerem, studiorum meorum specimen quoddam editurus. Tribus autem Sectionibus usum istum adumbrare, & in I. De Cinerum Vsu in Sacris Judæorum, II. De usu cinerum in Sacris Gentilium, & III. De cineris usu in Sacris Christianorum agere constitui. Vti vero à Deo omnium rerum capienda sunt primordia: ita sub hujus Dissertationis auspiciis calidis eum devenеror precibus, ut ex voto omnia animique sententia fluere jubeat!

§. I.

§. I.

ATque ut hinc exordiamur, ne illotis, ut dicunt, manibus, rem auſpicari videamur, prius quædam monenda ſunt in limine, antequam in ipſum adytum penetremus. *De Cinerum in Sacris Vſu* noſtra inſcribitur Diſſertatio, hinc paucis, quid nobis per *cin*[illegible], quid per *Sacra* hic intelligatur, indicabimus.

§. II.

Multa, imo innumera obvenirent, quæ de Etymologia vocabuli *cinis* præfari poſſemus, ſi noſtri inſtituti ratio pateretur. Equidem ſatis conſtat, quam dubia ſit, quamque multis diverſisque opinionibus obnoxia derivatio vocabuli *cinis* Grammatica. (1) Proxime omnium ad rei

 veri-

(1) *ISIDORVS*, *lib. XVI. cap. 1.* derivat à *cando*, eo quod ex rebus incenſis reſiduus maneat cinis. Alii ab *igne* denominatum cinerem putant, effectum a cauſa efficiente nomen

veritatem accedere videntur, qui à *κόνις* Græcorum derivatum cinerem putant. (2) Quod Hebræam concernit vocem

suum traxisse existimantes. Sicut etiam Germanicum vocabulum **Aschen**, sive **Eschen** ab אש Hebræorum, quod per *ignem* Latini vertunt, denominari, nonnulli censent, licet alii eandem hanc vocem a דשן, ablata littera Daleth, cinerem simul & pinguedinem significante, derivari posse existiment. Alii denique a *cadendo* cinerem dictum arbitrantur, *propterea, quod à re combusta cadat post humoris consumtionem.* Conf. *JOA. GVIL. STVCKIVS de Sacrific. Gentil. p. 159.*

(2) O videlicet converso in i. Consentientem habemus *VOSSIVM in Lexic. Etymolog. p. 158. Cinis*, inquientem, *potius est à Græco κόνις, quod non pulverem tantum, sed & cinerem atque etiam lixivium non raro notat. O conversum in i, quomodo ab ὄμβρος est imber, ab ὅς, is* &c. Conf. etiam *STVCKIVS l. c.* Plura dabunt Lexicographi passim. Occurrit hæc vox apud *PHOCYLIDEM:* Λυόμενοι κόνις ἐσμὲν, ἀὴρ δ' ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται; h. e. *Mortui pulvis sumus, cœlum vero spiritum recipit.* A κόνις derivatur κονίστρα, apud veterem Poetam, *POLLVCE* teste, & *conisterium* apud *VITRVVIVM lib. V. c. XI.* quæ voces antiquitatem sapiunt. *Vtroque*, ait *VOSSIVS l. c. signatur locus, ubi adservabatur pulvis, quo post unctionem adspergebantur luctaturi, ut prehensiones*

vocem אֵפֶר radix ejusdem ex Arabica lingua, in qua occurrit أَفَرَ *vehementer ferbuit calor*, ſive, *olla bullivit* *ab*

firmiores, non lubricæ, forent. Vide, quæ de arena luctatoria & ejus ſpeciebus ſcribit HIERONYMVS (MERCVRIALIS) lib. de arte Gymnaſtica cap. VIII. Addantur, quæ hanc in rem ex *ANDREA BACCIO Elxidiano Medico l. 7. de Thermis* adducit *ROSINVS Antiqq. Rom. L. 1. c. 14. p. m. 60. Coniſterium; ubi ſicco pulvere vel arena luctaturi ſeſe conſpergerent.* Factum inde, ut *cinis* interdum accipiatur pro ipſa [illegible]a & lucta, quia præterea etiam ſubſternebatur in certaminibus. *Gloſſa:* κόνις, ἄμμος, μάχη. Et κόνιν τὴν μάχην ἔλεγον οἱ παλαιοί. Conf. *PITISCVS Lexic. antiqq. Rom. T. 1. p. 432. col. 2.* Κόνεως æquipollens [illegible] alias σποδὸς, uſitatius multo vocabulum, quod *M[illegible] XI. 21. Luc. X. 13. & Hebr. IX. 13.* occurrit. Græce vocatur etiam τέφρα, de qua voce liceat hic inſerere, quæ jam laudatus *STVCKIVS* habet *l. c.* Τέφρα, inquit, *eſt dictus à* τύφειν, *i. e. urere, incendere, ſive* τύφεσθαι, *quod & comburere & fumare, ſive fumigare ſignificat: cineres enim nihil ſunt aliud, quam pulveres, in quos materia aduſta redigitur, ſive lignorum, aliarumve rerum uſtarum reliquiæ. Inde etiam forſan* τάφος, *i. e. ſepulchrum dictum, quod antiquitus mortuorum corpora cremari & in cineres redigere moris erat; unde vox cinerum per meton[illegible]iam [illegible]ve*

ab igne, non incommode restituenda videtur. (3)

§. III.

Cinis in S. Codice interdum fragilitatem notat, quod ex *Gen.* XVIII. 27. apparet. Nobis vero h. l. nil aliud per cinerem significatur, quam quod ex materia combusta & corporibus humanis consumtis restat.

§. IV.

Per *Sacra* autem, in quibus cinerum usum obvium esse, ostensuri sumus, actus aut ceremonias ad religionem spectantes, sive divino Numini sese approbent, sive eidem minus placeant, a nobis intelligi observamus.

SECTIO

pro morte accipitur & mortali conditione. Martialis Epigrammate 30. Rari post cineres habent Poetæ, i. e. post mortem. Elegans illud τύφῳ τάφος, i. e. superbiæ sepulchrum est finitimum. Hactenus ille.

(3) Vid. *KROMAYERVS de Vsu Lingv. Arab. L. II. c. 2. p. 88.* Sunt, qui derivant a פָּר *fregit;* materies quippe comburenda admota igni, frangitur quasi, & in cinerem denique resolvitur, uti etiam jam expositam vocem Græcam τέφρα, ab eadem radice derivari commode posse, quidam existimant. Sunt quoque, qui velint a פרה *fructificando* deflecti per

SECTIO I.
DE
CINERVM VSV IN SACRIS JVDÆORVM.

§. I.

GEntem Judaicam præ cæteris Deo olim acceptam, & in peculium quasi acquisitam receptamque fuisse, nemo est, qui facile iverit inficias. Hujus cum in S. Codice ipso ritus atque cæremonias maximam partem commemoratas legamus: nos vel hujus intuitu non ἀμεθόδως acturos confidimus, si in Sacris actibus atque ritibus, ad quos cineres adhibiti fuere, describendis, à Judaicis exordiamur cæremoniis, atque has ex Sacris non solum paginis, sed & Rabbinorum aliorumque scriptis erutas sistamus.

§. II.

Insignem cultus divini, apud populum Judaicum, constituebant partem sacrificia; adeoque non male agemus, si residuorum ex Sacrificiis cinerum usui primum in hac tractatione tribuamus locum. Atque is usus vel inprimis

Antiphrasin: quasi cinis foecunditatem prohibeat, & sterilitatem inducat. Conf. *SANT. PAGNIN. Thesaur. Lingv. S.* p. 158. Judicet B. L. quænam commodior sit derivatio.

primis egregius fuit in Sacrificio Vaccæ rufæ, utpote cujus combustæ cineres ad mundandos pollutos adhibebantur. (4)

§. III.

Videlicet in ipsa Vacca, ex cujus cineribus aqua lustralis conficiebatur, seligenda, triplex potissimum requirebatur virtus, ut nimirum perfecta prorsus, & ab omni vitiante macula illibata, & rufa etiam ac ab omni denique jugi impo-

(4) Agit de hac Vacca rufa, & ritibus circa eam observandis *Caput XIX. Numerorum.* Atque quod ad primam horum rituum institutionem attinet, prolixus in hac commemoranda est R. ABARBANEL *Comment. in Legem, quæst. 1. super priorem partem Paraschæ Chukath. fol. CCCI. col. 4. & fol. CCCII. col. 1.* citante doctissimo, atque in linguis, quas Orienti debemus, versatissimo olim Viro B. *DN. JO. BEN. CARPZOVIO in Disp. 1. de Vacca rufa*, ubi ipsa verba videsis descripta. *JOSEPHUS lib. IV. Antiqq. Jud. c. 4.* jussu Mosis crematam a Pontifice vaccam, scribit, post menstruum ex sororis ejus Mariæ obitu luctum, lustratumque hoc ritu populum, & asservatum in loco purissimo reliquum cineris, quo posthac polluti ad sui purificationem uterentur. Atque hunc lustrandi morem, addit, etiam in terra belli sorte quæsita servari præcepit.

impositione immunis ista existeret. (5) Injungebatur enim à Deo Mosi & Aaroni, ut ad mactationem eligerent Vaccam rufam, & istiusmodi quidem, quæ esset אדומה תמימה *rubedinis perfectæ*, vel ut Syrus exponit, ܣܘܡܩܬܐ ܡܫܡܠܝܬܐ *perfectè rufa.* (6)

§. VI.

5) Conf. *Num.* XIX. 2.

6) Cui expositioni & calculum addit *JOSEPHVS Antiqq. L. IV. c. IV.* qui eandem istam vaccam nominat ὁλόκληρον ξανθὴν πᾶσαν. *CARPZOVIVS Disp.* 1. *Exeg. cit.* §. X. *pag.* 44. non quidem plane inficiatur, quod vacca hæc prorsus & undiquaque rufa esse debuerit, attamen τὸ תמימה non ad priorem vocem אדומה reducit, sed potius posteriorum verborum, אשר אין בה מום exegeticam istam esse arbitratur, cum nativa illius notio carentiam macularum omnimodam, & perfectam ex omni parte integritatem inferat, priorique vocabulo, tanquam termino quodam positivo, requisita rubedo indigitetur. Sed non video, qua ratione (quod pace tanti Viri dixerim) non idem istud vocabulum תמימה carentiam quoque vitii in rubedine Vaccæ, atque adeo Vaccam ita perfectè rufam designare queat, quæ ab omni polluente macula, diverso nimirum duorum vel trium pilorum colore, ut docet *Parah Mischna c. II. Sect.* 5. immunis esset. Omnino enim requirebatur, ut vacca hæc omni macula vitiante careret,

§. IV.

Antequam autem Vacca hæc, debitis ſuis qualitatibus inſtructa, mactaretur, & ex ejus combuſtæ cineribus aqua luſtralis conficeretur, Sacerdos, vaccam combuſturus, per ſeptem dies, ne immundus redderetur, ſeparabatur in loco atrio propinquo, qui dicebatur בירת האבן *domus lapidis*, & ſpargebant ſuper eo per totum ſeptiduum de omnibus ſacrificiis pro peccato, quæ illic erant, ſecundum *Miſchnam* פרה *de Vacca rufa, cap. III.* §. *1.* Præterea etiam vaſa, quibus aquæ ſuper ſacerdotem illum ſpargendæ continebantur כלם כלי אבנים *omnia fuerunt lapidea*; שאין מקבלים טומאה *quia non facile immunditiem contra-*

utpote cum ipſe Deus eſſet ſanctus, & omnis labis expers, omnia quoq;, quæ circa Deum occupabantur, vel ipſi offerebantur, ſancta eſſe oportebat. *Lev. XI.* 44. Hinc & habet canon *Parah c. II. Sect. 3.* כל המומים הפוסלים במוקדשים פוסלים בפרה *Omnia vitia, quæ reprobant in conſecratis, ea & in Vacca reprobant.* Conf. *DN. WICHMANNSHAVSEN in Diſp. de Aſpergillo Hebr. S.* §. *XIV. p.* 44. Illud denique prorſus ſingulare erat, quod ad Vaccam hanc rufam requirebatur, ut nempe plane injugis, *ἀρότρου καὶ γεωργίας ἄπειρος*, ut loquitur *JOSEPHVS*, iſta eſſet, quam conſuetudinem ſimiliter apud gentiles floruiſſe, Auctor jam *cit. Diſp.* oſtendit. *Purior enim,*

contrahunt, juxta *MAIMONIDEM*, (7) & *BARTENORAM*, (8) qui docet, omnia vaccæ ministeria facta fuisse in vasis marmoreis, quæ non recipiunt immunditiem, uti nec terrea. (9)

§. V.

Adspergendus autem erat Sacerdos à persona toto vitæ tempore ex mortuo non contaminata. Hac mente etiam, ut Rabbini tradunt, Hierosolymis in petra ædificata erant conclavia, & sub iis concavum, ob sepulchrum abyssi, in quibus mulieres pariebant, & educabant infantes, qui adulti imponebantur bobus, & pocula lapidea in manibus tenentes, equitabant ad amnem Siloa. Quo cum pertigissent, descendebant, crateresque aquis adimplebant, & equitabant ad atrium gentium. Vbi denuo descendentes, ibant ad ostium atrii mulierum, ubi cadus cinerum vaccarum combustarum erat positus, cineresque crateribus suis infundebant, & cum aquis permiscebant, è quibus per

 septi-

addit, *videbatur victima vulgari usui nondum destinata*, *atque inde Deo etiam acceptior*.

(7) *MAIMONIDES de Vacca rufa cap. II. §. VII.*

(8) *BARTENORA ad Mischnam* פרה *cap. III. §. II.*

(9) Conf. Summe reverendus *DN. D. DEYLINGIVS in Observ. Sacr. P. III. Obs. IX. §. VIII. p. 75.*

ſeptiduum ſpargebant ſuper ſacerdote vaccam combuſturo. Antequam autem infantes illi ſacerdotem adſpergerent, lavare ſe debebant. (10) Hæc vero requirebantur ideo, quia maxima ſanctitas aquæ luſtrali ex cinere vaccæ rufæ conficiendæ adſcribebatur. (11)

§. VI

(10) Videatur *MAIMONIDES cap. II. §. I.* usque *ad VII. Codex Miſchnicus Para cap. III. §. II. III. IV.* in eaque loca *R. BARTENORA in Scholiis.* Idem de pueris aquam haurientibus ex illius temporis traditione narrat Auctor Epiſtolæ, quæ *BARNABÆ* vulgo adſcribi ſolet. Conf. *STEPHANVS LE MOYNE, in Notis ad V. S. p. 616. DN. D.* DEYLINGIVS *l. c. §. VIII. p. 76.*

(11) Hinc in *Tract. Adijoth*, ſive *de controverſiarum teſtificationibus cap. VIII.* hæc leguntur: העיד רבי שמעון בן בתירא על אפר חטאת שנגע טמא במקצתו שטמא את כלו: *Teſtatus eſt R. Simeon, filius Beteræ de cinere expiatorio, quem ex parte tetigerat immundus, eum penitus pollutum eſſe.* Audiatur ad hæc verba *R. OB. de BARTENORA: Sanctitati,* ait, *aliquam excellentiam attribuerunt, ut & cineri expiatorio; nam etſi diſtincta ſint corpora intra vas unum poſita, & tetigerit ex parte res illa, quæ polluit, ſancta, omnes polluuntur, quia vas eas conjungit, ut unum quaſi corpus fiant. Et hoc applicuerunt ex eo, quod dicitur Num. VII. 14.* כף אחת *una acerra, perinde ac ſi omnes res, quæ in acerra continentur, ſint*

§. VI.

Atque hæc, quæ diximus, ſpectant ad Iſraelitas in terram promiſſam jam deductos. Cum autem verſarentur adhuc in deſerto, vacca hæc à ſacerdote foras extra caſtra educenda, ac ibidem ab alio quodam viro (*Num. XIX. 3.*) mactanda erat. Quo facto ſacerdos, tunc temporis Eleazar (*v. 4.*) digito ſuo in ſanguinem intingens, eundem ſeptem vicibus verſus Tabernaculum conventus ſpargebat; & his ita peractis, per delegatum quendam eadem vacca cum cute, carne, ſanguine ac fimo comburebatur. In ardentis vaccæ flammas ſacerdos lignum cedrinum, hyſſopum ac dibaphum purpuræ conjiciebat, idque non prius, quam, uti *MAIMONIDES* (12) perhibet, אם נתלקח האש בה והובער והעצים וכלה האש *ſi ignis apprehenderit vaccam & ligna incenſa ſint, ita, ut defecerit ignis.* (13)

una. Vid. *GVILIELMVS SVRENHVSIVS in Miſchna P. IV, p. m. 358. ſq.*

(12) *MAIMONIDES Comment. ad Miſchn. Parah cap. III. Sect.* X.

(13) Qua de cauſa hyſſopum, cedrinum lignum & coccum ſelegerit Deus, ut in ignem conjicerent ſacerdotes, certo determinari non poteſt. An vero approbanda ſit *SIMONIS PATRICII* conjectura, quam *Comment. in Num. XIX. 6.* proponit,

§. VII.

Nos autem omnino hic ſupponimus, per cinerem vaccæ rufæ non ipſius ſolummodo vaccæ, ſed lignorum, cedri, cocci & hyſſopi cineres inſimul eſſe intelligendos; quam in rem iterum *MAIMONIDES* (14) ומן הראוי שתדע שאפר הפרה עם אפר העצים אשר נשרפה בהם הכל יקובץ יקרא אפר הפרה *Oportet*, inquit, *ut ſcias, quod cinis vaccæ cum cinere lignorum, quibuscum fuit combuſta, ſimul colliguntur; hæ vero omnes res conficiunt cinerem vaccæ.* Et hos quidem cineres à viro mundo collectos, &, ut addunt Rabbini, juſto ac legitimo modo contuſos, & à ſcoriis ſordibusque per cribrum, quod קריבול Magiſtris audit, purgatos, cado cuidam, quem *Miſchna Parah* per קלל exprimit, ea mente imponebant, ut in loco quodam mundo, quem eundem nonnulli putant fuiſſe, qui *Lev. IV. 12.* citatur, quique Rabbinis בית הדשן *Domus cineris* dicitur, quo nempe cineres ex ſacrificiis reſidui conjiciebantur, ac ubi

quaſi nempe cinis vaccæ rufæ cum rerum harum cineribus miſtus, medicam quandam virtutem conſecutus fuerit, atque adeo aqua, poſtquam cinis hujus vaccæ in eam conjectus eſſet, has medendi vires exerere quadantenus potuerit, in medio hic relinquimus.

(14) *MAIMONIDES Comment. in Miſchn. fol. 95. col. 2.*

ubi reliqua ſacrificia pro peccato comburebantnr, idque in terra Canaan, ubi antea Tabernaculum, poſteaque templum erat ædificatum; in deſerto autem מחוץ למחנה *extra caſtra, verſ. 9.* in uſum aſperſionis atque purificationis Iſraelitarum aſſervaretur. (15) An autem omnis extra caſtra cinis ſemper relictus fuerit, dubitari haud abs re poterit. Illud certe vel ex hoc capite nonnullis improbabile videtur, quod cinis ſemper in promtu eſſe debuerit, utpote cujus uſus ad perpetuam & quotidianam immunditiei ex contactu mortuorum contractæ purificationem requirebatur.

§. VIII.

Inſigni vero cum ſtudio ac cura cineres iſti aſſervandi erant, ſiquidem למשמרת in cuſtodiam vel aſſervationem circumſpectam & quaſi obſervationem dati illi fuerunt Iſraelitis eam ob cauſam, vt ex iisdem cum aqua in vaſe quodam, eodemque, ut communis habet opinio, ne immunditiem quandam facile contraheret, lapideo probe miſtis, מי נדה aquæ ſeparationis, vel aſperſionis, ſive Luſtrales, *LUTHERO* Sprengwaſſer, in mundandos Aſpergilli ope conjiciendæ adaptarentur.

§. IX.

(15) Conf. *DN. WICHMANNSHAUSEN Diſp. cit. §. XVI. p. 49.* Vid. etiam *LUNDIUS* in Jüdiſchen Heiligthümern *p. m. 682. ſq.*

§. IX.

Aquæ cum cineribus permiſcendæ, debebant eſſe מים חיים aquæ vivæ *Num. XIX, 17.* hoc eſt, juxta *Targum Onkeloſi* מֵי מַבּוּעַ *aquæ fontanæ*, utpote quæ non niſi מן המעינות הנובעין או מן הנהרות המושכין *ex fontibus ſcaturientibus, aut ex fluviis rapide fluentibus*, teſte ***MAIMONIDE***, (16) hauriebantur. In qua quidem haurienda aqua Hebræi fugam operis alieni diligenter notant. Ita, ſi quis hauriret aquas ad conſecrandum, & alio opere occupatus eſſet, tempore hauſtus, vel tempore fluxus aquæ, quam hauriebat, vel tempore, quando ex uno vaſe in aliud effundebat, reprobabat eas, ut iterum teſtatur ***MAIMONIDES.*** (17)

§. X.

His ipſis aquis parum equidem cineris, ut refert ***LVNDIVS***, (18) at tantum tamen, ut in aquis potuerit conſpici, immiſcebatur. Quæ ipſa cineris in aquas inſperſio ***MAIMONIDI*** (19) קידוש, aquarum vivarum, quæ hauſtæ

(16) *MAIMONIDES in Parah Adumma cap. VI.*

(17) *Idem l. c. cap. VII.*

(18) *LVNDIVS l. c. l. 3. c. 52. p. m. 682. ſq.*

(19) *MAIMONIDES c. l. cap. VI. §. 1.*

haustæ sunt, consecratio vocatur; quemadmodum juxta eundem & ipsæ aquæ, super quas datus est cinis, מי חטאת *aquæ sacrificii pro peccato*, ומים מקודשין *& aquæ consecratæ* appellantur. (20)

§. XI.

Cinis autem hic quovis tempore quemvis, qui eo conspersus esset, emundandi vim habuit, & quiddam fuit perpetuum, ex Dei solius decreto, non vero hominis cujusquam arbitrio pendens; semper enim cinerem illum in promtu esse oportuit. (21) Fiebat igitur, ut si quis aliquam ex mortui tactu immunditiem contraxerat, is aqua hac conspersus purificaretur, & ad tentorii tabernaculum admitteretur. (22) Additur hinc (*v. 12.*) הוא יתחטא *iste lustrabit se*, hac videlicet aqua, cui vaccæ rufæ cineres

D immisti

(20) Conf. *DN. D. DEYLINGIUS in Observv. P. III. Obs. IX. p. 74.* ubi simul hic adducit memorabilem Judæorum superstitionem, qui requirunt, ut is, qui consecrat, intentionem habeat dandi cinerem, quem in manu habeat, super aquas. Quemadmodum & Pontificii sacerdotis intentionem omnino ad Sacramenti efficaciam necessariam dicunt.

(21) Uti tradit *CRELLIUS Exegeticor. Opp. Tom. II. fol. 154.*

(22) *R. LEVI BEN GERSON in Commentario super legem fol. CXIII. col. 3. 4. & fol. CXIV. col. 1. 2.* in causas inquirit immun-

immiſti erant. Optime ergo ad h. l. commentatur *ABARBANEL:* כוונת הפרה היא להביא המרחקים ממחנה שכינה להתקרב אליה *ſcopus vaccæ iſte eſt, reducere ſeparatos à caſtris divinæ præſentiæ, ut eo iterum appropinquarent.*

§. XII.

Cæterum aquam hanc luſtralem non ad perſonas ſolum, ſed ad res quoque luſtrandas adhibitam fuiſſe, ex *Num. XIX, 18.* facile evincitur. Id quod & alibi Moſes ſuo confirmat teſtimonio, quando is aurum, argentum, æs, ferrum, ſtannum, plumbum & reliqua Midianitis ab Iſraële ſurrepta ſpolia, quæ ignis vim ſuſtinere poterant, non per ignem tantum traducenda, ſed hac inſuper aqua ſeparationis ſ. luſtrali purificanda, reliqua autem, quæ ignem ferre non poterant, ſola aqua hac purganda eſſe docet. (23)

§. XIII.

diciei, ex homine mortuo contractæ, quæque ſit Analogia ac proportio Vaccæ rufæ ad hominem pollutum, aſperſione aquæ ex ejus cineribus paratæ luſtrandum, & quomodo illa mundiciem operetur, oſtendit, atque in hoc ſolo conſiſtere putat myſterium tantopere celebratum. Quam quidem totam Diſputationem, ſtylo Philoſophico ac difficillimo conſcriptam exhibet *CARPZOVIVS Diſp. 2. Dogmat. de Vacca rufa p. 40.*

(23) Conf. *Num. XXXI, 23.* Evolvi hic poteſt *LVNDIVS l. c. l. 3. c. 52.*

§. XIII.

Quod ad illum attinet, qui ipſam aquæ luſtralis conſperſionem perficere debebat, non ipſe conſpergendus & a pollutione mundandus, ut vult *JOSEPHUS*, (24) ſed איש טהור vir quidam mundus, quisquis demum ex populo Iſraëlitico iſte fuerit, id muneris adminiſtrabat. Equidem ſoli ſacerdoti id incubuiſſe, exiſtimat Chaldæus Interpres, (25) quando *Pſ. LI. 9.* ita παραφράζει. תדי עלי היך כהנה דמדי באזובא על מסאבא מוי אדיותא מן קרם תורתא *Infundes ſuper me, ſicut ſacerdos, qui aſpergit hyſſopo ſuper immundum, aquas aſperſionis ex cinere vaccæ.* At diſſentientes hac in parte habet Philologos fere omnes, cum verbis admodum generalibus cuilibet viro mundo id negotii permittat Scriptura. (26)

 §. XIV.

(24) *JOSEPHUS lib. 4. antiquit. c. 4. p. m. 110.*

(25) Vid. *SCHINDLER. Lex. pentagl. p. 48. & p. 560.*

(26) Obiter hic monendum, quod Vir quidam Cl. minus accurate diſſentientium numero eximere videatur *JO. LUNDIUM*, utpote qui nec ipſe cum interprete Chaldæo facit, quantum quidem ex clariſſimis ipſius verbis cognoſcere licet, *l. c. l. 3. c. 52. f. 683.* Wer aber, inquientis, muſte der (reine Mann ſcilicet, der die Sprengung verrichten ſolte) ſeyn? Ob etwa ein Prieſter? ſo ſolte faſt aus der Chaldäiſchen

§. XIV.

Succedit tempus, quo immundus aqua hac conspergendus erat, de quo satis docemur à Mose, (27) quando is aspersionem indicat fieri debuisse ביום השלישי וביום השביעי *in die tertio & die septimo*, quod non improbabile videtur ideo factum fuisse, ut immundities ex tactu ossium vel demortuorum hominum contracta, sensim paulatimque

Dolmetschung zu schliessen seyn ꝛc. Aber obgleich ein Priester, wenn er rein gewesen, einen andern unreinen hat besprengen können, so scheinets doch, daß es auch andere, als Priester haben thun können. Denn die Schrifft spricht schlecht weg, ein reiner Mann soll es thun, welches sie so schlecht nicht sagen würde, wenn es allein ein Priester hätte thun sollen. So schreibet auch *MAIMON. ap. BOCHART. l. c.* schlecht weg, ein reiner Mann habe den Jsopbusch gemacht, und damit gesprenget, daß es wohl scheinet, es habe thun können, wer da solte, oder wer dazu erbeten worden, wenn er nur rein gewesen. Ex quibus nil aliud concludere licet, quam quod & ipse *LVNDIVS* aliorum Philologorum, ab Interprete Chaldæo hac ex parte dissentientium, amplexatus fuerit sententiam, adeoque nulla de causa ex eorundem numero excipiendus videatur.

(27) *Num. XIX. 19.*

que cessaret, utpote quæ uno momento haud posse expelli videbatur.

§. XV.

Discrepant hic inter se Scriptores Rabbinici, quando quæritur, quidnam tandem per adspersionem illam aquæ lustralis, ex cinere vaccæ rufæ præparatæ significetur. (28) Nos

(28) Hujus quidem Mysterii interpretes *CARPZOVIVS in cit. Disp. 2. dogm. de Vacca rufa p. 39.* dispescit in tres classes, quarum primam assignat Philosophis, qui legem hanc ex naturalibus caussis prognatam, existimant; secundam Cabbalistis, abstrusioris Theologiæ Doctoribus, qui omnia ad decem Sephiroth in arbore Cabbalistica referunt: tertiam Medraschicis, h. e. illis legis interpretibus, qui seposita, aut præsupposita litera, sensum mysticum atque allegoricum sectantur. Ad primam classem pertinet *R. LEVI BEN GERSON*, ad secundam *R. BECHAI*, in tertia classe sunt ii, qui (1) sacra hæc in hunc finem à Deo dicunt instituta, ut per ea peccatum, vitulo aureo commissum, expiaretur, (2) qui Monarchias & regna mundi, in quorum servitutem redacti fuerint Hebræi, his vaccæ rufæ ceremoniis præfigurata ostendunt, (3) ad Israelitas accommodant, & quæ his tempore exilii potissimum & captivitatis evenere, iisdem ceremoniis similiter adumbrata scribunt. Sunt, (4) qui cum lege vaccam rufam

Nos vanis eorundem fabulis atque figmentis neglectis, Scripturam S. ſecuti, nil aliud per hunc ritum præfigurari dicimus, quam Redemptionis a Chriſto factæ myſterium. Id quod Eſaias (29) jam dudum prædixit: *Sic aſperget*, inquiens, *gentes multas, ſuper eo claudent Reges os ſuum, quia quod non erat enarratum illis, viderunt, & quod non audiverunt, intellexerunt*; quippe alludi hic in aſpergendi verbo ad aſperſionem myſticam aquæ luſtralis, à Theologis prolixius oſtenditur. (30) *Moſaam*, enim, *umbram*, verba ſunt *MARTINI BORRHAII* (31) *explicans Propheta dicit, futurum in noviſſimis patefactionis Evangelii temporibus, ut gentibus multis ſacra Evangelii aqua aſpergatur, ad eas à maculis vitiorum veteris naturæ expurgandas. In qua aqua piacularis*

comparant, quaſi ea omnia, quæ circa univerſam Dei legem obſervanda, his ritibus repræſententur. Alii (5) de poenitentia, alii (6) de expiatione peccatorum in defunctis reſiduorum, alii aliter exponunt; quæ omnia per Rabbinorum libros diſperſa Cl. Autor cit. Diſp. collegit, eademque propriis eorum verbis cum verſione ſua prolixe profert.

(29) *Eſ. LII. 15.*

(30) Conf. *AVG. VARENIVS Comm. in Iſaiam Part. III. Or. VI. Concl. 13. p. m. 344. ſq.*

(31) *MARTINVS BORRHAIVS in Comment. ad h. l. f. 464.*

cularis victima Christi Jesu, omnia in coelo & in terra expians & mundans sanguis continetur.

§. XVI.

Clariora nobis adhuc argumenta suppeditat N. T. utpote in quo expressissimis verbis typus iste aspersionis cineris vaccæ rufæ ad Christum Antitypum applicatur, quippe de cujus sanguinis aspersione his verbis Petrus nos docet: (32) *Juxta præcognitionem Dei Patris in sanctificatione Spiritus in obedientiam,* καὶ ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ *& aspersionem sanguinis Jesu Christi.* Item & Paulus: (33) *Si namque sanguis taurorum & hircorum,* καὶ σποδὸς δαμάλεως ῥαντίζουσα τοὺς κεκοινωμένους, *& cinis vaccæ, aspergens pollutos, sanctificat ad carnis puritatem: Multo magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum se ipsum obtulit irreprehensibilem Deo, mundabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ut serviatis Deo vivo.* Hæc quid aliud nobis ostendunt, quam omnes illas ceremonias Leviticas, & ritus in V. T. consuetos, ad quos procul dubio pertinet aquæ lustralis ex cinere vaccæ rufæ præparatæ adspersio, indice quasi digito præfigurasse Messiam?

§. XVII.

(32) *1. Petr. I. 2.*

(33) *Hebr. IX. 13. 14.*

§. XVII.

Tandem hic quoque memorabilis omnino & consideratione dignus est aquæ expiatoriæ diversus & plane contrarius effectus. Immundos enim emundabat, sed mundos polluebat. (34) Cujus rei rationem interpretaturi Judæi, mirifice ineptiunt, & rixas inter sese otiosas movent. Ex Christianis, *JOANNES CLERICVS* (35) existimat, ideo vaccæ hujus cineres polluisse & contaminasse mundos, quia essent victimæ expiatoriæ & piacularis, cujus reliquiæ polluebant. (36) At multo rectius *DN. D. DEYLINGIVS* (37) *Nos mysterii*, inquit, *explicationem in antitypo quærendam exstare opinamur. Sanguis Christi homines miseros & peccatis contaminatos, qui foeditatem cum dolore agnoscunt, & deprecantur, purgat: incredulos autem, propria mundi-*

(34) Conf. *Numer. XIX. 21.* Ex Rabbinis *MAIMONIDES de Vacca rufa c. l.* rem ita exponit: חנוגע במי חטאת שלא לצורך הזאה בין ארם בין כלים טמא *Si quis tetigerit aquas sacrificii pro peccato, cum opus sparsione non habuit, sive homo fuerit, sive vasa, immundum est.*

(35) *JO. CLERICVS in Commentar. ad Num. XIX. f. 361.*

(36) *Levit. XVI. 26.*

(37) *DEYLINGIVS in Observv. P. III. Obs. IX. §. XIII.*

munditie confisos, *polluit & damnat*, *fitque* ὀσμὴ θανάτου εἰς θάνατον· *illis autem* ὀσμὴ ζωῆς εἰς ζωήν.

§. XVIII.

Misso illo, quem in mundandis hominibus obtinuisse, satis prolixe ostendimus, cinerum usu, ad illum pergimus enucleandum, qui apud Judæos olim in poenitentia quoque haud fuit exiguus. Nam quemadmodum apud eosdem ad luctum ac moerorem declarandum, adhibitos fuisse cineres, sacra verbi divini oracula passim testantur: (38) ita poenitentiæ declarandæ causa, eosdem haud raro usurpatos fuisse, legimus.

§. XIX.

Huc referenda sunt bene multa tam Veteris, quam N. T. dicta, cinerem nobis, tanquam signum poenitentiæ sistentia, quæ quidem in duas potissimum classes abeunt, quarum in prima locum inveniunt illa Scripturæ oracula, quæ cineris in poenitentia usurpati generatim mentionem

E faci-

(38) Namque *cinerem super caput spargere*, *in cinere volutari*, *cinerem manducare*, aliaque manifestissima erant lugentium signa. Conf. *GLASSIUS Rhetor. S. L. V. Tr. I. c. X. p. m. 1729.* & *JOH. HENRICUS URSINUS in Analect. S. Vol. II. L. IV. c. 20. p. m. 308.* De singulis suo loco.

faciunt; in altera autem collocanda puto illa, quæ ſpeciatim non ſolum conſperſionem cinere factam, ſed & ſeſſionem, cubatum, ac volutationem in cinere, nec non ipſius cineris manducationem commemorant.

§. XX.

Ad priorem claſſem ſpectare puto illa Danielis *cap. IX. 3. Dedi ergo facies meas ad Dominum Deum, ad quærendum orationem & preces,* בצום ושק ואפר *in jejunio & ſacco & cinere,* nec non verba ipſius Servatoris noſtri, quæ *Matth. XI, 21.* occurrunt: πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν h. e. *olim,* ut vertit *SEB. SCHMIDIVS, in ſacco & cinere poenitentiam egiſſent;* quippe quibus ad uſum cineris in poenitentia quondam tempore V. T. receptum digitum intendiſſe, in propatulo eſt. (39)

§. XXI.

(39) De cinere, etiam à lugentibus adhibito, talismodi generalis loquendi ratio obviat *Eſa. LXI, 3. Ad imponendum lugentibus Zionis* לתת להם פאר תחת אפר *ad dandum illis ornamentum pro cinere.* Svavis hic ſimul literarum פאר & אפר metatheſis invenitur, id quod inter Anagrammata veluti Hebraica refert *GLASSIVS Phil. S. LII. P. I. Tr. II. Sect. III. p.m. 436.* Eſt enim elegans paronomaſia: Ad dandum illis *peer,* pro *epher,* q. d. *Quam facili transpoſitione literarum ex epher fit*

§. XXI.

Poſteriorem claſſem occupant illa S. literarum monumenta, quæ ſpeciatim & primo quidem loco conſperſionis cinerum meminerunt, in poenitentia quæ olim obtinuit. (40) Huc pertinent, quæ de Judæis in obſidione Holofernis capita cinere conſpergentibus leguntur: *Judith. IV. 11. Etiam omnis vir Iſrael & mulier, infantes & habitantes in Hieru-*

peer, tam facile eſt Deo cinerem in cidarim, luctum in luſum, rictum in riſum & gaudium convertere; ut eleganter loquitur *CORNELIVS à LAPIDE ad h. l. p. m. 508.*

(40) Eadem ratione ſuppetunt quoque exempla eorum ex Judæis, qui in luctu ſe conſperſerunt cinere. Ita Thamar ob grandem ſibi ignominiam illatam תקח אפר assumit cinerem ſuper caput. 2 *Sam. XIII. 19.* Et concluſæ thalamis virgines cum puerperis procurrebant ob periculi ab hoſte metuendi magnitudinem: & *cinere ac pulvere capita conſpergentes*, gemitibus & ſuſpiriis plateas complebant. *III. Macc. I. 18.* Præter cinerem lugentes quoque adhibebant interdum pulverem; quæ cæremonia clare nobis in animum revocatur *Job. II. 12. 13.* cum tres Amici Jobi veniſſent, ut viſitarent eum & conſolarentur: *Cumque elevaſſent procul oculos ſuos, non cognoverunt eum, & exclamantes plorarunt, ſciſſisque veſtibus* ויזרקו עפר על־ראשיהם השמימה *ſparſerunt pulve-*

Hierusalem, ceciderunt ante facies templi, καὶ ἐσποδώσαντο τὰς κεφαλὰς αὐτῶν. *& cinere consperserunt capita sua; & extenderunt saccos suos ante faciem Domini: & altare sacco circumdederunt.* Et *v. 15.* καὶ ἦν σποδὸς ἐπὶ τὰς κιδάρεις αὐτῶν, *Etiam erat cinis super cidaribus eorum, & clamarunt ad Dominum ex omni virtute, ut in bonum respiceret omnem domum Israel.* Ipsa quoque Judith juxta *Cap. IX. v. 1.* in faciem suam procubuit, καὶ ἐπέθετο σποδὸν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς, *& imposuit cinerem super caput suum.* Tale quoque in *Adjectionibus ad Librum Esther* ejusque *cap. XIV. 1, 2.* in Esthera depre-

---

rem super caput suum in coelum, & sederunt cum ea in terra septem diebus & septem noctibus. Ita nautæ, excisa Tyro amare admodum ululantes, pulverem capitibus inspergebant, Conf. *Ezech. XXVII. 30.* ad quos nautas respexisse a nonnullis existimatur Johannes in *Apocal. XVIII. 19.* καὶ ἔβαλον χοῦν ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, καὶ ἔκραζον κλαίοντες καὶ πενθοῦντες κ. τ. λ. *Et projecerunt terram super capita sua & clamabant plorantes & lugentes &c.* Quo ipso etiam miserrimus Israelitarum status describitur *Thren. II, 10.* ישבו לארץ ידמו זקני בת־ציון העלו עפר על־ראשם חגרו שקים הורידו לארץ ראשן בתולת ירושלם h. e. *Sedent in terra, conticescunt Seniores filiæ Zionis, ascendere fecerunt* (LXX. ἀνεβίβασαν vel, intulerunt) *pulverem super caput suum virgines Hieroso-*

deprehendimus, de qua relatum legitur, quod confugerit ad Dominum in lucta mortis constituta, & auferens vestimenta gloriæ suæ, induerit vestimenta angustiæ & luctus, & pro superbis delectamentis cinere sordibusque impleverit caput suum, suumque corpus humiliaverit. Hanc cineris inspersionem Judæos porro adhibuisse constat, dum affligebantur à gentilibus, quo poenitentiam agentes seriam, Numinis iram mitigarent, ejusque gratiam sibi conciliarent. *Jejunasse* enim dicuntur, *& circumjecisse saccos, ac cinerem super capita sua sparsisse & disrupisse vestes suas.* (41) Idem fecerunt, Timotheo armis deleturo Judæos. Namque *ad supplicationem Dei conversi sunt, coram altari procidentes, ac cinere capita conspergentes & lumbos saccis cingentes.* (42) Audientes denique Israelitæ Nicanoris adventum, *conspersi cinere super capita, supplicarunt ad Deum, qui usque in seculum constituit suum populum.* (43)

 §. XXII.

lymæ. Huc quadrat *1. Sam. IV. 12.* ubi fugitivus infaustusque cladis Israeliticæ nuntius laceris commemoratur venisse vestibus, ואדמה & terra (madida aut lutosa, ut nonnulli putant) in capite ejus.

(41) *1. Macc. III. 47.*

(42) *2. Macc. X. 25. sq.*

(43) *2. Macc. XIV. 15.*

§. XXII.

Finis erat, ut eo ipſo teſtarentur peccatorum & magnitudinem, & poenitentiæ ſinceritatem. Se enim per nefanda ſcelera contaminatos & ſordidos redditos eſſe coram Deo declarabant. Inde adeo fragilitatis ſuæ memores, ut humiliarent ſeſe coram Deo omnipotente, fragilitatis Symbolum cinerem adhibebant. Verticem, inanis gloriæ indicem conſpergebant, eo ipſo mereri ſe teſtantes, ut ob peccata ſtatim in cinerem redigantur. Quidni enim potius farina aut alia re pretioſa ſe conſperſerunt? Certe non aliam ob cauſam, quam ut extremam hoc modo miſeriam ex peccatis redundantem teſtarentur iſtiusmodi poenitentes. Sicut enim rebus proſpere ſuccedentibus, delicatuli undecunque conſultum cupiunt voluptatibus lubricis, usque adeo, ut odoratis etiam pulveribus inficiant crines: ita è diverſo conſcientia ſtimulum ſubdente, ac ira provocata Dei vindictam urgente, poenitentes ac ſuper peccatis moerentes, ſicut cuncta intus in pectore ſentiunt inverſa & adverſa, ita foris etiam immutatum eunt omnia, quæ paulo prius exornaverant. Adeoque ſicut cineres reliquiæ ſunt materiæ nobilioris, combuſti v. g. ligni, panni aut alterius rei craſſioris: ita poenitentes ex ſtatu feliciſſimo filiorum Dei, teſtari volunt, ſe nunc translatos eſſe in ſtatum iræ divinæ infeli-

infelicissimum, umbramque gloriæ prioris vix gerere: profitentur ipso facto, (ut verbis olim Abraham (44)) se nil esse, nisi cinerem, de cinere formatos, cineris instar sordidos ac solubiles, in cinerem mox reversuros. Vt omnia taceam reliqua, quæ hoc ipso ritu significare volebant. (45)

§. XXIII.

Succedit nunc expendenda etiam illa consuetudo, qua poenitentes olim in cineribus consedisse dicuntur. Quod ipsum rex Niniviticus suo illustrat exemplo, utpote qui, nuntiato Ninevitarum interitu, ut poenitentiam agerent, jejunium indixit, ipseque subditis exemplo præivit, abjecta corona regia, saccoque induto. Inde adeo divina oracula de ipso commemorant, (46) וישב על־האפר quod sederit in cinere. Ad quem ritum alludit etiam Servator noster: (47) *Væ*, inquiens, *tibi Chorazin! væ tibi Bethsaida! quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ καθήμεναι μετενόησαν, olim*

(44) *Gen. XIIX. 27.*

(45) Hæc uti generatim de lugentibus affirmat *GEIERVS in Opusc. Philol. c. IX. p. m. 148.* ita speciatim ad mœrentes super peccatis eadem accommodasse non videtur incommodum.

(46) *Jon. III. 6*

(47) *Luc. X. 13.*

olim in sacco & cinere sedentes poenitentiam egissent.

§. XXIV.

His & addi posset exemplum Jobi, utpote qui pari ratione sistitur nobis *Job. II. 8.* ישב בתוך האפר *sedens in medio cineris.* (48) Quo quidem ipso si dicatur etiam Jobus consuluisse ulceribus suis, medelæque causa in cinere sedisse, uti *THOMAS BARTHOLINVS* (49) existimat, utpote qui rem illustrat ex curatione per cinerem, & *p. 43.* ex *DIOSCORIDE* adducit, cinerem ulcera siccare: præcipuus tamen Viri illius patientis scopus fuit, ut poenitentiæ memor esse posset, quod aperta ipsius testatur confessio, *Ideo,* inquientis, *aversor, & poenitentiam ago* על־עפר ואפר *super pulvere & cinere.* (50) Namque quod de cineris conspersione

(48) LXX. *Edit. Lond.* sic vertunt: καὶ ἐκάθητο ἐπὶ τῆς κοπρίας ἔξω τῆς πόλεως, quam translationem secutus *PINEDA in Comm. ad h. l.* תוך־האפר per sterquilinium exponit, cumque ipso non pauci. At vero cum nullibi in S. literis vox אפר sterquilinii significationem obtineat, merito usitatum retinemus significatum, quippe a quo ut recedamus, nulla nos cogit necessitas.

(49) *THOMAS BARTHOLINVS de Morbis biblicis p. m. 42.*

(50) *Job. XLII. 6.*

ſione perapte obſervat *B. DANHAVERUS*, (51) idem quoque de ſeſſione in cinere aſſerendum exiſtimo, eam ideo adhibitam fuiſſe, ut faterentur poenitentes, ſe nihil eſſe niſi cinerem & pulverem: oſtendentes calamitatis ſuæ magnitudinem: invitantes miſerationem Dei erga opus ſuum ex pulvere confectum: denique & ſpem ſuam ſignificantes, quod eos ex pulvere aliquando reſuſcitaturus eſſet.

§. XXV.

Poenitentes quoque interdum in cinere cubuiſſe, haud obſcure oſtendunt verba ipſius Dei, per Prophetam jejunium ac poenitentiam hypocriticam Judæis exprobrantis: *Num ſicut hoc, erit Jejunium, quod eligam; dies, quo affligit homo animam ſuam? Num, ut incurvet, ſicut juncus, caput ſuum,* ושק ואפר יציע *& ut in ſacco & cinere cubet? Num hoc vocabis jejunium, & diem beneplaciti Jehovæ?* (52)

§. XXVI.

Quemadmodum præter conſperſionem, lugentibus etiam corporis in cinere volutatio in S. Codice adſcribitur: quo ſpectare videntur illa Jeremiæ, (53) ad fletum exhor-

F tan-

(51) *DANHAVERUS Hodoſoph. Phœnom. XI. p. m. 1291.*
(52) *Eſa. LVIII. 5.*
(53) *Jer. VI. 26.*

tantis populum Hierosolymitanum: *O filia populi mei, cinge te cilicio,* והתפלשי באפר *& volve te in cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amaritudinum: quia subito veniet vastator super nos.* Et quæ prænuntiat Propheta Ezechiel (54) *Et clamorem,* inquiens, *edent super te voce sua, clamabuntque amare; ac ascendere facient pulverem super capita sua,* באפר יתפלשו *in cinere volvent se.* (55) Ita quoque non prorsus improbabile videtur, eandem in cinere volutationem poenitentiam agentibus more receptam fuisse. Namque quo major luctus erat super peccatis perpetratis, eo & major corporis inquinatio inde emergere solebat, ut adeo, dum sedebant in cinere, simul etiam haud raro in eodem se vol-

(54) *Ezech. XXVII. 30.*

(55) Non sine Emphasi hic adspersio pulveris ac volutatio in cinere conjunguntur, ut adeo indicetur, imminentem Tyri devastationem tantam afferre mœstitiam & luctum, ut non sufficiat, pro more lugentium, nuda saltem cineris aut pulveris conspersio, sed requiratur usque adeo etiam volutatio in cinere, & totius corporis immersio in cinerem. Quem ritum & sua ætate adhuc observasse Judæos, Autor est *HIERONYMVS in Epistola ad Paulam de Blesillæ obitu, T. 1. Opp. Epist. XXV. p. m. 103. Flentes,* inquiens, *hodie Judæi, & nudatis pedibus, in cinere volutati, sacco incubant.*

ſe volverint, quo nulla corporis pars intacta, & ſordibus exempta relinqueretur.

§. XXVII.

Reſtat nunc paucis exponendus ritus cibandi ſe cinere, quem à lugentibus pariter ac poenitentibus obſervatum fuiſſe, conſtat, utpote quod utrumque exemplo Davidis declaratur, qui quippe non ſolum in ſummo luctu conſtitutus, ſed & manifeſta poenitentiæ ſuæ ſigna editurus, in Pſalmo Metanoëtico *CII. v. 10.* in hæc erumpit verba: כי־אפר כלחם אכלתי *quoniam cinerem, ſicut panem comedi.* (56) Quo-

(56) Variant circa explicationem hujus dicti interpretes. Adeat jam, qui velit, *DELRIUM T. 2. adag. 108. pag. 96.* ubi novem recitat loci hujus expoſitiones, quarum tamen examen nolim hic ſuſcipere. *KIMCHI & MUIS*, commemorante *GEIERO ad h. l.* cenſent, particulam *(*כ*)* trajectam eſſe, atque ad אפר pertinere hoc modo, *comedi panem, quaſi cinerem*, i. e. panis haud aliter mihi ſapit, quam ſi eſſet cinis. Itaque putat *R. KIMCHI in h. l.* pro אפר כלחם *cinerem, ut panem comedi*, legendum eſſe כאפר לחם *ut cinerem panem comedi:* per ſimilitudinem nimirum hoc dictum eſſe, כלחמו בפיו דומה לו לאפר *quod panis ejus in ore ejus ſimilis factus ſit cineri:* ſive quod panis (ceu cibus) non magis ipſi ſapuerit, quam cinis. Conf. *GLASSIUS l. c. Tr. II. L. IV. p. m. 125.*

Quorum verborum, missis aliorum sententiis cum *GEIERO* hanc dare Periphrasin nulli dubitamus: *Cinerem quasi panem edo, h. e. lugentium more ac poenitentium in cinere hinc inde volutatus, capitique cinerem inspersum habens, subinde cinerem*

Atque huc quadrare videntur etiam illa *MVLLERI* in Liebes-Kuß, *cap. XVI. Part. I. p. m. 511.* qui verba hæc ita explicat: Das meynet der König: HErr, ich bin nicht werth des geringsten Brodt-Stückleins, du möchtest mich wohl mit Aschen speisen, mein Brodt schmecket mir nicht anders, als wenn ich Staub esse, und so wenig Freude ein hungriger Mann haben würde, wenn er den Mund und Magen mit Aschen füllen solte, so wenig Ergötzung hab ich aus Speiß und Tranck, das macht, du speisest mich mit Thränen-Brodt ꝛc. *Ps. LXXX. 6.* Quare & *TERTVLLIANUS de Jejuniis cap. 9. Opp. p. m. 548. Tali victu*, inquit, *David exomologesin suam expressit, cinerem quidem edens, velut panem, i. e. panem velut cinerem aridum & sordidum, potum vero fletu miscens, utique pro vino.* Verum hæc sententia minus placet *GEIERO*, qui propterea etiam altius perpendens Spiritus S. mentem ex ritu superius commemorato lugentium hæc ipsa verba exponit, cui expositioni & nos in præsenti subscribimus. Patet nimirum, peti hanc loquendi rationem, *cinerem quasi panem edo*, ex ceremonia mœrentium pœnitentiumque tunc temporis recepta. Sicut quippe po-

nerem quoque illinc deciduum ore haustum deglutio, haud aliter, ac si ordinarius meus esset cibus, quem præ moerore capere alias obliviscor v. 5. Vel, *cibus mihi oblatus non potest non contaminari à cinere, quo velut obruor.* Hanc interpretationem suo quoque suffragio confirmat *CRAVSERVS*, (57) qui licet aliorum sententiam simul adducat, nostram tamen suam quoque facit, ita scribens: *Cinerem manducare de lugentibus dicitur, quia lugentibus optimus cibus etiam insipidus est, ut cinis, vel quia copioso cinere conspergebantur, vel quia revera interdum cinere vesci fuerunt soliti.*

§. XXVIII.

Huc referri quoque possunt quorundam exempla sanctorum, qui si *CORNELIO à LAPIDE* (58) credimus, cinere,

tus miscebatur lachrymis, indesinenter adeo profluentibus: ita cibus quoque inficiebatur cinere, quo frequenter tunc utebantur. Nempe *quia lugentes*, ut verbis utar ejusdem *GEIERI in Opusc. Philolog. c. IX. §. 5. cinerem non modo capitibus injiciebant, sed in cinere etiam volutabantur, adeoque cinerem & vestitui & manibus, quas gerebant illotas, ubivis adhærentem habebant, ideoque vix aliter fieri poterat, quin largè etiam cinerem una cum pane ingererent ori.*

(57) *CRAUSERUS in Phosph. N. T. p. m. 265.*

(58) *CORNELIUS à LAPIDE Commentar. ad Thren. III. 16.*

cinere vel ſe ipſos cibaſſe, vel cineris eſum aliis ſuaſiſſe feruntur. Ita enim meminit S. Franciſci, quod poenitentiæ cauſa, & ut gulam ac ſenſualitatem, (ut ipſe loquitur,) mortificaret, panem ſuum aſperſerit cinere, ut eum redderet inſipidum. Huic ſubjungit S. Jacoponum, S. Franciſci aſſeclam, utpote quem refert, hunc gulam vincendi modum tradidiſſe: ſi quis cinere, abſynthio, aliave amara vel inſipida re cibos ſapidos faceret inſipidos: imò ipſum tentatum appetitu carnis, ut eum vinceret, carnem emiſſe, eamque putreſcere permiſiſſe, putidamque quotidie ori admoviſſe.

§. XXIX.

Ad illa, quæ in S. Codice de cineris uſu in poenitentia recepto, nobis ſunt revelata, quædam adhuc alia in Scriptis ſuis paſſim Rabbini addunt. Ita enim illi arcam, in qua volumen legis repoſitum erat, in gravioribus jejuniis in plateam olim deductam, & cinere conſperſam fuiſſe, perhibent. Qua de re in *Miſchna* תענית *cap. 2.* hæc habentur: סדר תעניות כיצד מוציאין התיבה לרחובה של עיר ונותנין אפר מקלה על גבי התיבה *Ordo jejuniorum qualis eſt? Educentes arcam in plateam civitatis, & ponentes cinerem combuſtionis ſuper arcam.*

§. XXX.

Imo & volumen legis, quod in arca reconditum ſervabatur, inſimul cum arca in plateam prolatum, ac cinere ſordidatum commemoratur; in quo tamen ipſo valde inter ſe Judæi diſſentiunt. Sunt enim, qui factum hoc eſſe, adſtruunt, ſunt & alii, qui illud negant. Ipſe *MAIMONIDES*, (59) cinerem volumini legis impoſitum fuiſſe, clare docet his verbis: ונותנין אפר מקלה על גבי התיבה ועל גבי ספר תורה *Et ponentes cinerem combuſtionis ſuper arcam, & ſuper librum legis.* Cui ex Chriſtianis Celeberrimus *DN. CALVOERIVS* (60) adſtipulatur, diſerte ſcribens: *In Septemplice ob pluviam jejunio proferunt* (Judæi) *arcam legis in plateam civitatis, omnisque illuc congregatur populus, operiens ſe ſaccis, cineremque tenuem imponens tum arcæ, tum libro legis.* Quibus ſi fides ſit habenda, non alium in finem factum hoc fuiſſe videtur, quam ut graviſſimus luctus, quem ſuper peccatis habebant, magna acceſſione augeretur, cum viderent, ipſum hunc librum, quem tanta veneratione alias proſequuntur, ut profanis manibus illum tangi,

(59) *MAIMONIDES in hil. Taan. c.* 4.

(60) *CALVOERIUS in Ritual. Eccleſ. Part. II. Sect. II. C. XXIII. §. 3. p. m. 305.*

tangi, minime patiantur, jam ſordido cinere conſpergi. Negat autem hoc ipſum *R. JOSEPH KARO*, (61) qui fatetur, ſe neſcire, unde hoc *MAIMONIDES* habeat, quod cinis libro legis impoſitus fuerit. Namque in *Gemara* arcæ tantum mentionem fieri, cui cinis fuerit impoſitus, de legis vero volumine prorſus nihil haberi. At hanc opinionum diverſitatem ex lectionis varietate derivandam, cenſet *LVNDIVS*. (62) *Cum penitius*, ſcribens, *in hanc ſententiarum diverſitatem inquirerem, commodum occurrit mihi R. ASCHER, qui in* ἀνακεφαλαιώσει *ſua Talmudica, textum Gemaricum ita legit fol. 34. col. 1.* למה נותנין אפר מקלה על ספר תורה *pro eo, quod in noſtro textu eſt:* על גבי התיבה *Vnde facile apparet, MAIMONIDEM & R. ASCHER aliam à noſtra habuiſſe Gemaræ lectionem, quod cum dicti Commentarii Autor non animadverterit, mirum hoc ei viſum eſt, non ſine prægnanti ratione.*

§. XXXI.

Præterea & illud perhibent Magiſtri, quod in iſtiusmodi jejuniis capita cujusvis conſperſa cinere fuerint, ordine in ſimul quodam ſervato, ita, ut primum Principis, deinde

(61) *R. JOSEPH KARO in Comment. ad Maim. Ceſeph Miſchne.*
(62) *LVNDIVS Comm. ad Miſchn. de Jejuniis Cap. 2. §. 1.*

inde & Præſidis Synedrii, ac reliquorum capita cinere ſordidarentur. Vbi & illud obſervant, teſte *R. OB DE BARTENORA*, (63) Principem, Præſidemque Synedrii ſibimet ipſis non impoſuiſſe cinerem, verum ab aliis fieri hoc debuiſſe, quo major humiliationis ac pudoris ob peccata peracta inde exſurgeret nota; pudorem enim, quo homo ab aliis afficitur, longe differre ab eo, quo is ſe ipſum afficit.

§. XXXII.

Denique non totum caput cinere undiquaque conſperſum, docent, ſed tantum ejus partem aliquam, certumque ac definitum locum, qui in *Gemara fol. 16.* מקום תפילין *locus phylacteriorum* vocatur, quem *RASCHI* per מקום שמוחו תינוק רופף *locum, ubi cerebrum tenelli infantis palpitatur*, exponit. Illum hic ſignificari putant nonnulli locum, qui Medicis alias *ſciſſura cranii* appellatur. His ita expoſitis, in offenſo pede progredimur ad

SECTIO

(63) *R. OB. DE BARTENORA in Comm. ad Cap. 2. Miſchn. de jejuniis.*

SECTION. II.

DE CINERVM VSV IN SACRIS GENTILIVM.

§. I.

NOn in luctu solummodò cinerum usum apud gentiles obtinuisse, (64) sed eosdem in lustrationibus quoque,

(64) Quemadmodum *per naturam quodammodo talis à mœrore imperatur deformatio*, uti judicat *GEIERVS:* ita & Græcos Romanosque cinere injecto crinem & faciem conspurcasse, facile probari potest. Sic enim Achilles, comperta Patrocli nece, ambabus manibus cinerem super caput fudit, apud *HOMERVM Iliad. XVIII. 23.* Ita Priamus etiam cinere aspersus, Hectoris filii mortem luget. *Iliad. XXIV.* Quod ipsum etiam præficæ in monodiis apud Romanos factitabant. *HOMERVS Odyss. 24. v. 315.* Laërtem, Ulyssis patrem commemorat, ardentem pulverem, quo cinis videtur denotari, in caput sparsisse. Quo referri possunt matres, lugentes interfectos filios, quæ apud *EVRIP. in Supplicibus* dicunt: ἀμφὶ δὲ σποδὸν κάρα κεχύμεθα, i. e. *cinerem vero circa caput fudimus.* Quem ritum salse pro more suo perstringit *LVCIANVS, in libr.* περὶ πένθες *pag. 767.* κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται, *Cinis capiti inspergitur, adeo ut viventes miserabiliores sint mortuis.* Quandoque pulverem adhibebant, id quod de Latino testatur *VIRGILIVS*, *Æneid. XII. v. 611.* Bar-

que, & purgationibus fuisse adhibitos, historiarum testantur monumenta. Non enim aquas semper meras sacris usibus destinasse putandi sunt; (65) sed illis etiam quin cineres

bam interdum pulvere conspergi solitam, docet *STATIVS Thebaid. Libr. VI. v. 30. 31. 32. p. m. 232.*

- - Sedet ipse exutus honore

Vittarum nexu genitor, squallentiaque ora

Sparsus, & incultam ferali pulvere barbam.

Pulvis dicitur feralis, quia designabat mortem ac funus pueri, cum damno familiæ. Vid. *BARTHIVS ad h. l. T. III. p. m. 355.* Ad ultimum adduci hic merentur Ægyptiorum fœminæ, de quibus in *Euterpe* refert *HERODOTVS f. 53.* quod omnes ex defuncti insignioris familia caput sibi & vultum πηλῷ *luto* oblinant. Conf. *P. FABER in Semest. lib. 2. c. 10. p. m. 110. GEIERVS in Opusc. Philol, c. IX. p. 149. sq. DILHERRVS in Dispp. Acad. Tom. I. p. m. 133. sq.* Quibus addatur *PITISCVS in Lexic. Antiquit. Rom. p. 432. col. 2. & JOH. PHILIPP. PFEIFFERVS in Antiqq. Græc. L. IV. c. 55. p. m. 754.*

(65) Sicut lustratio apud gentiles duplex est, vel expiatio cædis, vel præparatio ad sacra: Vid. *JOHANNIS MARSHAMI Canon Chronicus Ægyptiac. Ebraic. Græc. ad Secul. XI. p. m. 264.* ita ad utrumque aqua adhibita legitur. Quod ad prius attinet, constat, veteres cæde contaminatos, vel cædis conscios, aqua se abluere & purificare solitos fuisse. Evolvatur *DIL-*

cineres interdum immiscuerint, quibus se expiarent, lustrarentque, Scriptorum autoritate commoti, nulli dubitamus.

§. II.

Moris hujus testem cito *OVIDIUM, Fastor. Libr. IV.* ubi inter

HERRUS c. l. p. m. 201. ubi existimasse dicit gentiles, cædem perpetratam, vel quamcunque noxam vivo flumine aut aqua marina elui posse; quam in sententiam citat versum *EURIPIDIS*: Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά,

Mare abluit mortalium mala omnia.

Conf. *WITSII Ægyptiac. Lib. II. c. XVI. p. m. 188.* & *JOH. FABRICII Disp. de Cacozelia Gentilium Part. Special. cap. VI. inserta Tom. II. Dispp. DILHERRI Disp. IX. p. m. 232.* Græcorum enim & Latinorum testimoniis passim obviis palam est, Ethnicos in sacris lustratoriis aquam modo fontanam modo marinam frequenter adhibuisse, eamque usui illi præter cæteras aquas accommodatissimam existimasse. Videsis *SPENCERUM de Legibus Hebræor. Ritual. Lib. III. cap. I. p. m. 155.* Posterius quod concernit, quando nimirum se præparabant ad sacra, erat ad fores templi aquiminale quoddam magnum, in quod mergebant titionem ardentem ab ara sumtum, quando victima adoletur: eaque aqua omnes, qui templum ingrediebantur, sese aut ipsi aspergebant, aut à sacrificulis aspergebantur. Vid. *DILHERRUS l. c.* A quo non multum abludit, quod de Incolis regni Cochin in Asia commemorat

inter cætera cineris quoque ad lustrationes adhibiti mentionem injicit, dicens:

Igne cremat vitulos, quæ natu maxima virgo est:
Luce Palis populos purget ut ille cinis.

Et quibusdam interjectis:

Certè ego de vitulo cinerem, stipulamque fabalem
Sæpe tuli plena februa tosta manu.

Cujusmodi ritus meminit etiam *ROSINVS*, (66) quando XVII.

BERCKENMEYERVS in Antiquar. P. II. p. m. 163. Vor ihren Pagoden, inquiens, oder Götzen-Tempeln stehet ein grosser Wasser-Trog, in welchen sie sich, ehe sie in den Tempel treten, waschen, und hierauf mit Kuh-Drecks-Asche (sit venia verbo) von weissen Kühen, welche ihre Bramines bey den Tempeln halten, und den Leuten solche Asche, als ein Heiligthum verkauffen, bestreuen. Imo in ipsis Delubris fontes fuerunt, lebetes, labra, ut & περιῤῥαντήρια, sive vasa, quibus aqua lustralis continebatur; qualia etiam in Dodonæi Jovis & Appollinis Delphici fanis visebantur, imo apud ipsos etiam Romanos, qui lustrandi causa labra non in templis solummodo, verum in foro etiam, atque in triviis habebant. Vnde Delubra à diluendo veteribus dicta fuerunt templa, fontes habentia, quibus homines intraturi diluebantur. Vid. *ANTON. VAN DALE De oraculis Veterum. C. V, p. 100.*

(66) *ROSINVS in Antiqq. Rom. p. m. 265.*

XVII. Kalend. Maji, qui est dies XV. Aprilis, Virginem commemorat Vestalem maximam apud Romanos cremasse vitulos, quorum cinis servatus fuerit in templo Vestæ, ut inde suffimen fieret, quo populus Palilibus purgaretur. Huc referri quoque possent, quæ apud *VIRGILIVM*, *Eclog. VIII. v. 101.* obviant:

> *Fer cineres Amarylli foras, rivoque fluenti*
> *Transque caput jace.*

Mos quippe fuit veterum, cineres ex combustis victimis relictos ad aquam sive marinam sive fluviaticam deferre; hac siquidem ratione se expiari ac purgari posse putabant. *LIVIVS lib. 36.* de bobus quibusdam scribit, eos vivos comburi, cineremque eorum dejici in Tyberim, aruspices jussisse. Credebant enim, Deos tunc advenire, & colligere id, quod jaciebatur: quos Deos ne viderent, quod indignum putabant tantis Numinibus caput avertebant. (67) Ex hactenus dictis apparet, frustraneam non esse *STVCKII* 68) conjecturam. *Quemadmodum*, inquientis, *in medicina cinerum maxima est vis & facultas, de qua consulendi Medici: ita dubium*

(67) Hac de re plura vide ap. *IOANN. LVDOV. DE LA CERDA in Annotat. ad Virgil. Ecl. VIII. p. m. 167. sq.*

(68) *STVCKIVS de Sacrif. Gentil. p. m. 218*

dubium non est, quin gentiles cineribus quoque istis sacris, (qui ex hostiis videlicet combustis remanent) *maximam vim lustrandi, purgandi, Deosque suos placandi tribuerint.* Quo ipso gentilium vanitatem eludit *ARNOBIVS*, (69) quando gentium Numina sugillans, *Lavatio*, inquit, *Deûm Matris est hodie: sordescunt enim Divi, & ad sordes eluendas lavantibus aquis opus est, atque adjuncta cineris fricatione.*

§. III.

Atque uti multa à fidelibus ad gentiles per famam ac relationem fuere propagata: (*Revelatio* enim *erat fidelibus propria, relatio vero etiam gentilibus facta*, ut loquitur celeberrimus Theologus, Philosophusque pariter subtilissimus, *B. DN. D. ALBERTI*,(70)) ita & hunc ipsum morem cineris in ritibus lustratoriis usurpandi gentiles à Judæis sine dubio mutuatos esse, asserimus; quamvis hîc nobis contradicat *JOHANNES SPENCERVS*, (71) quippe qui pro more suo, Judæos potius à gentilibus & hunc morem accepisse mutuo, adstruere conatus est. Sic enim expressissima

(69) *ARNOBIVS Lib. 2. contr. Gent.*

(70) *ALBERTI in Discursu Msc. sup. J. N. P. II. c. I. p. m. 46*

(71) *IOHANNES SPENCERVS de Legibus Hebræor. Ritual. Lib. III. cap. I. p. m. 158.*

ſima ipſius verba fluunt: *Sat ſcio, pleroſque ſibi perſuadere, Gentiles cineres in ritibus luſtratoriis uſurpaſſe, ut Legem à Deo latam Numer. XIX.* κακοζηλίᾳ *Diabolica imitari poſſent. Mihi vero probabilius eſt, hunc cineres ad luſtrationes adhibendi morem primam inter gentes originem reperiiſſe, & Deum hunc morem è Gentilium initiis in cultum ſuum tranſtuliſſe.*

§. IV.

At enim vero quis neſcit, hæc à veritatis tramite longiſſime abludere, cum jam dudum non ſolum ex Reformatis non pauci, ſed & ex Noſtratibus Theologi magni nominis contrarium demonſtratum iverint? Enimvero quomodo Deus Iſraëlis, qui idololatricas gentilium ſuperſtitiones tanto ſemper abominatus eſt opere, ut maximis populum ſuum affecerit poenis, ſi gentilium veſtigiis inſiſtebat, Ethnicorum næniis usque adeo delectari potuiſſet, ut easdem fabulas ſuæ genti ſectandas præceperit? Sapientiſſimum certè Numen gentilium ſacris non indiguit, ut eorundem ad inſtar veram ſe colendi rationem populum doceret Judaicum. Tantum ergo abeſt, ut ritus Moſaicos à gente, vel Ægyptiaca, vel alia, quocunque nomine veniat, petierit, ut potius nec permiſerit nec juſſerit Deus, ut eo ſe modo Iſraëlitæ colerent, quo Deos ſuos colebant gentiles. Audiat modo *SPENCERVS*, qua ratione ab Ægyptiacis vanitatibus ad ſuo-

ad ſuorum obſervantiam præceptorum Iſraëlitas Deus avocet? (72) *Ne exquiras de Diis gentium, dicendo: Quomodo coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos? ut ſic faciam ego quoque. Ne facito ſic Jehovæ, Deo tuo: nam quicquid abominationi eſt Jehovæ, quicquid odit, fecerunt Diis ſuis. Unamquamque rem, quam ego præcipio vobis, eam obſervantes facite: ne addito ei, neque detrahito ex ea.* Et alibi: (73) *Alloquere filios Iſraelis edicens eis: Ego ſum Jehova Deus veſter. Secundum opera terræ Ægypti, in qua habitaſtis, ne facitote: Similiter ſecundum opera terræ Canaan, in quam duco vos, ne facitote, & in ſtatutis eorum ne ambulatote. Judicia mea exercetote, & ſtatuta mea obſervatote, ambulando in eis. Ego ſum Jehova Deus veſter.* (74) Ex his apparet, quam impium ſit, ex gentilium nugis ſacratiſſima Dei inſtituta derivare, & quæ Deum agnoſcunt Autorem, lutulentis gentilium lacunis velle adſcribere.

§. V.

Accedit, quod infirmo nimis talo nitantur argumenta, quæ ad ſuam ſententiam ſtabiliendam urget *SPENCERVS.*

H Ideo

(72) *Deut. XII. 30. 31. 32.*

(73) *Lev. XIIX. 2. 3. 4.*

(74) Vid. *HERMANNI WITSII Ægyptiaca Lib. III. Cap. XIV. pag. 283.*

Ideo enim putat, Deum aquam lustralem gentilium in suum transtulisse cultum, *ne Israelitæ semet ipsos minus expiatos existimarent, nisi aquis, novam à cineribus infusis purgandi virtutem haurientibus, aspergerentur.* At enim vero Israëlitæ non ignorabant, aquam cineremve in se nullam habere vim atque virtutem, legalem immunditiem auferendi, nisi accederet institutio divinitus facta, & fiducialis respectus ad antitypum, Christi nempe sanguinem pretiosissimum, qui illos, quibus per fidem aspergitur, demum ab omnibus lustrat atque purgat peccatis.

§. VI.

Porro existimat *SPENCERVS*, quod, *cum populus Judaicus vetera omnia libens acciperet, sed quæ nova in cultu videbantur, animis aversis intueretur, æquum sit opinari, Deum hunc lustrandi modum instituere noluisse, nisi cineres inter Gentium februa numeratos, & res in usu solenni positas invenisset.* Sed ad hoc facilis iterum est responsio, & primo quidem loco, quod adhuc sub judice lis sit, quinam ritus alterum antiquitate superet, Ægyptiorumne mos lustrandi se aqua cinerali, an vero Israeliticus, à Deo ipso mandatus, cum nec ipse *SPENCERVS* vetustiorum gentium exempla producat, in quibus iste obtinuerit, sed in meris acquiescat

con-

conjecturis. Deinde si vel maxime hunc lustrandi ritum prius apud gentiles, quam Judæos obtinuisse, concederem; inde tamen inferre non licet, supremum Numen eundem à Gentilibus mutuo accepisse, & populo Judaico observandum proposuisse. Ad id enim, quod urget *SPENCERUS*, populum istum vetera omnia libenter accipere, at quæ nova in cultu videbantur, aversari, facile regeri potest, hoc absque teste à *SPENCERO* adduci, adeoque eadem facilitate, qua affirmatur, negari posse. Præterea non quod placuit, aut displicuit Populo Israelis, Deum movit, ut hanc vel illam legem circa cultum ab eodem observandum præscriberet, sed potius sanctissima pariter atque sapientissima ejus voluntas omnium legum latarum norma fuit.

§. VII.

Denique exigui, vel plane nullius momenti tertium est, quod affert, argumentum, *quasi credi nequeat, gentiles ab exemplari suo tam longè recedere voluisse, si cineres in purgandi ceremoniis usurpantes, ad Hebræorum imitationem se fingere studuissent.* At plane non video nexum hujus consequentiæ, cum vel una instantia labefactari queat. Puer enim, qui primis, ut dicunt, labris vix literas degustavit, scripturæ exemplum, quod ipsi præformavit Ludi Magister, imitaturus, sæpe adeo recedit ab exemplari suo, ut figura literarum ab ipso

ipſo delineata fere Ectypi nomine digna non videatur, ad Archetypon illud Præceptoris conformati. Quis autem puero illi propterea imitandi conatum ac ſtudium denegaret? Eadem ratione cum κακοζηλία illa gentilium comparatum eſſe autumo, utpote qui pleniori revelationis lumine deſtituti, dum quod per famam accipiebant a fidelibus, æmulari contendebant, veritate ſæpe numero in mera mendacia ac fabulas commutata, ab exemplari ſuo receſſere quam longiſſime.

SECTIO III.

DE CINERVM VSV IN SACRIS CHRISTIANORVM.

§. I.

A gentilibus progredimur ad Chriſtianos, priſci moderni-que ævi, quorum apud utroſque multa, quæ cinerum uſum concernunt, deprehenduntur.

§. II.

Primo loco commemorandus venit priſcus ritus Chriſtianorum, qui in agenda poenitentia, inter cætera cinerem quoque adhibuerunt. Ita enim, ſuo jam ævo, cineri incubuiſſe poenitentes, indicat *TERTVLLIANVS*, (75) *Itaque*, inquiens, *Exomologeſis proſternendi & humilificandi homines, diſci-*

(75) *TERTVLLIANVS lib. de pœnitent. cap. 9. p. m. 127*

disciplina est &c. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus dejicere, illa, quæ peccavit, tristi tractatione mutare. Huic *CYPRIANVS*, (76) adjungi potest, utpote qui adhæsionis cineri meminit: *Putas*, scribens, *facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti. Orare oportet impensius, & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrimosis lamentationibus occupare: stratos solo, adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari.* Et *CELERINVS*, (77) de se ipso testatur, quod pro sorore sua, à Christo descìscente in lætitia Paschatos flens die ac nocte, in cilicio & cinere lacrymabundus dies exegerit. Porro etiam *S. AMBROSIVS* (78) ostendit, quomodo foemina, quæ peccavit, debeat Deo reconciliari etiam aspersione cineris. Verba ita habent: *Deinde lugubris Tibi accipienda est vestis, & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt: defluant oculis lachrymæ, quæ masculum*

H 3 non

(76) *CYPRIANVS de Lapsis* paulo ante finem *p. m.* 137

(77) *CELERINVS in Epistola ad Lucianum, quæ inserta Cypriani Epistolis, in ordine est* XXI. *p. m.* 45.

(78) *AMBROSIVS in Tractatu ad virginem lapsam cap.* 8.

non ſimpliciter aſpexerunt, palleſcat facies, quæ quondam viruit impudice: Denique totum corpus injuriis & jejuniis maceretur, cinere aſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat, quia male ſibi de pulchritudine placuit &c. Teſtis quoque ſatis luculentus eſt *SALVIANVS,* (79) qui de peccatore loquens: *Sed quomodo,* inquit, *ei exomologeſis diuturna opitulabitur in extremis ſito? Sed cilicio carnes conteret, ac favilla & cinere ſordidabit: ut mollitiem videlicet præteritæ voluptatis præſentium aſperitatum duritia compenſet.* Cinerum uſum apud priſcos ſexti adhuc ſeculi Chriſtianos obtinuiſſe, teſtatur *Synodus Agathenſis,* (80) ſi quidem *BVRCHARDO* aliisque Canonum collectoribus fidem habemus. Poenitentes enim ante fores Eccleſiæ ſe repræſentaſſe dicuntur Epiſcopo civitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis, ipſo habitu & vultu reos ſe proclamantes. Ibi ſecundum modum culpæ, poenitentia per præfixos gradus injuncta, poſteaque in Eccleſiam introductis, manus impoſitæ, miſſoque cinere caput cilicio opertum commemorantur. (81)

§. III.

(79) *SALVIANVS Opp. T. II. L. I. adverſus Avaritiam p. m. 39.*

(80) *Synodus Agathenſis can 63. Diſtinct. 50.* citante *JOH. BAPTISTA CASALIO de Prof. & Sacr. Veter. Rit. P. III. cap. LXI. p. m. 306. ſeq.*

(81) Conf. *CHEMNITIVS in Exam. Concil. Trid. P. IV. p. m. 148.*

§. III.

Præter hæc notari quoque meretur, à viris, vera & infucata pietate conſpicuis, hunc morem quoque ſervatum fuiſſe, ut in cinere ſtrati, quo ſacram poenitentiam familiarem ſibi redderent, ac veluti naturalem, eidemque magis indulgerent, ibi emorerentur. (82)

§. IV.

Hic autem veterum Chriſtianorum ritus ac conſuetudo non reprehendenda, dimanavit ſuccedente tempore in Pontificiæ addictos religioni, utpote apud quos, circa tempus Quadrageſimale, inprimis in Capite, ut vocant, Jejunii, (83) quod

JOACH. HILDEBRAND. Enchirid. de priſcæ & primitivæ Eccleſiæ ſacris publicis cap. III. CALVOER. Ritual. Eccleſiaſt. Part. II. Sect. II. cap. XXIII. §. 3. p. m. 304.

(82) Conf. *RAYNALDVS in Annalibus Eccleſ. anno 1200. num. 19. in fin. tom. 13. & ibidem 1202. num. 29.*

(83) Variant Scriptores circa determinationem Capitis Jejunii. Quidam enim ponunt illud in Dominica Invocavit, alii autem in ſeptimanæ antecedentis feria quarta, quæ Dies Cinerum audit, cui poſteriori ſententiæ, quam et Canones, & praxis ipſorum Pontificiorum confirmant, noſtra quoque addimus ſuffragia; controverſias vero omnes hic diſcutere velle à noſtro alienum inſtituto exiſtimamus.

quod aliis *Dies cinerum*, (84) die Ascher-Mittwoch, à ritu nimirum primario incinerationis dicitur, cineris adhuc receptum esse usum, affatim constat.

§. V.

Equidem summi Triumviri, *HUNNIUS*, (85) *GEIERUS*

(84) Quod hujus diei originem concernit, in diversas iterum partes Autorum sententiæ abeunt. Sunt, qui non adeo antiquum illum esse asserunt. Sunt & alii, qui antiquitatem ejus adstruere conantur, ut *BELLARMINUS*, & *ALARDUS GAZÆUS* aliique, qui hunc jam inde à quinti seculi fine, sextique initio repetunt. Eundem receptum fuisse tempore Concilii Agathensis, *BURCHARDUS Wormatiensis*, *IVO Carnotensis*, aliique canonum collectores narrant. Porro alii cinerum diem, tanquam caput Jejunii, à Gregorio M. institutum fuisse sub finem Sec. VI. putant, uti *BALÆUS* docet, *Cent. I. Scriptorum Brittannic.* ubi etiam addit, Gregorium hunc Quadragesimæ jejunium cinerum aspergine sacrasse, & cinerum consecrationes instituisse. Cui sententiæ & calculum addunt Celeberrimi Viri, *HOSPINIANUS de Orig. Festor. Christ. p. m. 39. JOACH. HILDEBRAND. in Libello de Diebus Festis p. m. 47.* & *CALVOERIUS in Ritual. Eccles. Part. II. Sect. II. cap. 23. p. m. 303. sq.* Conf. si placet, *Du. M.* Mittwoch *in Dissert. Histor. de Capite Jejunii, vulgo*, die Aschermittwoch, *Hab. Lipsiæ. A. S. R. M DC XCIII.*

(85) *NIC. HUNNIUS in Apostas. Rom. Eccl. p. m. 626.*

GEIERVS (86) & *CALVOER*, (87) ex Judaiſmo hunc cineris uſum, qui penes Pontificios in die hoc cineris obtinet, originem ſuam traxiſſe, docent. At vero pace Tantorum Virorum dixerim, quod mihi quidem vero ſimilius videatur, eundem tam longe non eſſe repetendum, quum, uti ſupra oſtendimus, in veterum Chriſtianorum ſacris ejusdem veſtigia jam appareant, quibus inſiſtere conati Pontificii, hunc cineris uſum hodienum retinuerunt.

§. VI.

Ad ipſum autem cineris uſum quod attinet, eſt quidem ille ad veterum Chriſtianorum morem aliqua ex parte conformatus, ſed ita tamen, ut Pontificii in quibusdam ab exemplari ſuo receſſerint, & quædam præterea addiderint, quorum nonnulla ſuperſtitionem maximam ſapiunt, quædam autem non usque adeo ipſis vitio vertenda videntur. De ſingulis pauca delibabimus.

§. VII.

Nimirum notiſſimæ ſunt illæ ſuperſtitiones, quæ in ipſa cinerum adſperſione, quæ fit in Die Cinerum, inter Pontificios graſſantur. Namque ſi ante omnia ſpectes materiam,

(86) *GEIERVS in Opuſc. Phil. c. IX. §. 6. p. m. 152.*

(87) *CALVOER. l. c.*

riam, ex qua relicti cineres capitibus imponuntur, illud omnino superstitiosum, ac plane novum videtur, quod prius consecrent ligna comburenda, quam ex iis remanentes cineres ad sacrum usum adhibeantur, utpote ad quem non nisi, vel ex ramis olivarum, juxta *BARTHOLOMÆVM GAVANTVM*, (88) vel ex palmis, ut vult *HOSPINIANVS*, (89) vel etiam ex cremiis sarmentorum, uti *BERNARDVS* (90) tradit, vel aliis arboribus, præterito anno sacratis, præparatos cineres usurpari, legimus, qua de consecratione tamen nec vola nec vestigium in veterum Christianorum sacris apparet.

§. VIII.

Deinde & illud à more piæ antiquitatis multis parasangis recedit, quod & ipsis cineribus benedicant, eosdemque ad sacra peragenda consecrent quatuor, ut vocant, collectis, sive Orationibus & precibus sacris, ut idem docet *HOSPINIANVS l. c.* In quarum priore sibi expetit à Deo

(88) *BARTHOLOMÆVS GAVANTVS in Thesauro Sacr. Rit. Part. IV. Tit. 17. p. 215.*

(89) *HOSPINIANVS l. c. p. m. 39.*

(90) *BERNARDVS Mon. in Consvetud. Cluniac. MSS. c. 64.* citante *Du FRESNE in Glossar. sub voc. Cinis.*

Deo Sacerdos, ut mittere dignetur Angelum suum sanctum de coelo, qui cineribus illis benedicat, eosdemque sanctificet, ut sint remedium salutare omnibus, nomen sanctum Dei humiliter invocantibus, ac semet ipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, ut sic cineribus istis sese adspergant ad corporis sanitatem, & animæ tutelam. In secunda collecta precatur Deum, qui inspicit conditionis humanæ fragilitatem, ut his cineribus pro sua pietate benedicere dignetur, quos proferendæ humilitatis, atque promerendæ veniæ causa capitibus imponere decreverint, ut qui se cinerem esse & ob pravitatis suæ meritum in pulverem reversuros cognoscant, peccatorum omnium veniam, & veniam poenitentibus repromissam misericorditer consequi mereantur. In tertia Collecta à Deo rogat, ut aurem suæ pietatis inclinet precibus ipsorum, & capitibus servorum ipsius, horum cinerum aspersione attactis, effundat propitius gratiam suæ benedictionis, eosque Spiritu compunctionis repleat. In quarta quoque Collecta invocat Deum, qui Ninivitis in cinere & cilicio poenitentibus, indulgentiæ suæ remedia præstiterit, ut concedat propitius, quo eos imitentur habitu &c.

§. IX.

His autem ita consecratis cineribus superstitiosi Papi-

ſtæ ſpiritualem propterea, ac neſcio quam, virtutem prorſus divinam adſcribunt, ita quidem, ut inter alia his cineribus Dæmonem ejectum, legamus *in Annuis literis Soc. Jeſ. 1653. GOSWINO NICKELIO, Præpoſ. Gen. jubente Pragæ editis p. 237. n. 8.* Cujus furfuris & illud eſt *p. 247. n. 81.* quando *Cuidam*, inquiunt, *ut Catechiſmo noſtro ſe daret inſtruendum, anſam dedit, quod, cum ob ſterile à multis annis conjugium affligeretur, Chriſtiani cujusdam hortatu Deo uni ac vero ſupplex, de cinere benedicto biberit modicum, brevique conjugium foecundum expertus ſit.*

§. X.

Quemadmodum autem hæc ipſa Pontificiorum nimis ſuperſtitioſorum genium ſapiunt, propptereaque maxime damnanda, & ex pura doctrina Evangelica eliminanda judicantur: ita è diverſo, ſi cætera abſint, non plane culpanda videretur illa conſuetudo utut ſuperflua, in recipiendo cinere ſervari ſolita, qua nimirum ſacerdos, adventantibus ad aram hominibus, cinerem in ſignum poenitentiæ, in capita eorum ſolet conſpergere, hoc epiphonemate: *Memento, quia cinis es, & in cinerem reverteris;*

teris; (91) ſi quidem præterea nihil hoc ritu ſignificaretur, quam quod *CASALIVS* (92) habet, quando hanc cineris conſperſionem dicit notam eſſe, & ſignum exterius interni moeroris & doloris, Deum offendiſſe, ejusdemque unigenito filio mortem præbuiſſe; imò quando addit, quod ideo cinere capita aſpergantur, ut ipſis calamitas ad memoriam revocetur, ac ut meminiſſent, ſe eſſe pulverem. Se hoc habitu confiteri, quod non Dii neque de coelo ſint, ſed homines de terra principium habeant:

(91) Conf. *GEIERVS l. c. p. m. 152. HOSPINIANVS l. c. POLYDOR. VERGILIVS lib. 6. de Invent. c. 3. p. 487.* Adde *CALVOERIVM l. c.* Impiam hujus epiphonematis profanationem in Bonifacio VIII. deteſtantur Pontificii. Siquidem illum venienti ad ſe Procheto, Genuenſi Archiepiſcopo, ſed Gibellinæ factionis, & petenti ad pedes Papæ cineres, hæc dixiſſe: *Memento, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem converteris*, ſimul & patinam plenam cinere effudiſſe, atque incuſſiſſe in vultum & oculos Archiepiſcopi, *PLATINA in vita Bonifacii* refert. Conf. *HILDEBRAND. in Libello de Diebus feſtis. p. m. 49.*

(92) *CASALIVS de Prof. & S. Rit. P. III. c. LXI. p. m. 307.*

beant: & quod per peccatum gloria sua spoliati, & inter hostes nudi constituti, ornatu gratiæ Dei indigeant.

§. XI.

Hæc dicta sunto de Vsu cinerum, qui penes Pontificios in Capite Jejunii obtinet. Præter hunc alius apud eosdem occurritt commemorandus cinerum usus, quando nimirum iidem Consecrationi Altarium inserviunt. Constat quippe, Papicolas non cereis solum, oleo ac chrismate sancto, hymnis, votis, ac oblationibus Missaticis suas recens exstructas aras sanctis, quos venerantur, dedicare; verum non raro etiam aquam lustralem ex sale & cinere confectum adhibere. (93)

§. XII.

Liceat in hanc sententiam quasdam ex *VGHELLI Tomo VII. p. 760.* cæremonias adscribere, quemadmodum eas in dedicatione Ecclesiæ S. Juliani agri Veronensis deprehendimus: *Dominus Jonathan Concordiensis Episcopus,*

(93) Vid. *MIRVS in Lexic. Antiqq. Eccles. p. m. 49.*

ſcopus, & Dominus Aldemarus Xantonenſis Epiſcopus, fecerunt aquam ſanctam cum aqua & ſale, & iverunt per tres vices de foris Eccleſiæ, & fecerunt aquam benedictam cum Sale, cinere & vino, & ſanctificarunt altaria, & iverunt de intus per circuitum ſupra ſcripta Eccleſiæ tribus vicibus, & fecerunt fieri quadrivium in prædicta Eccleſia cum cinere, & ſcripſerunt literas in quadrivio de cinere, & unxerunt pedes altarium, & fecerunt XII. Cruces de intus per circuitum iſtius Eccleſiæ, &c. (94)

§. XIII.

Hæc quam ſint ſuperſtitioſa, vel me tacente, res ipſa loquitur. Quid enim eſt, ſi hoc non eſt ſuperſtitioſum, aras tam inanibus, ridiculis, à Deo nullibi præceptis ceremoniis non Deo, ſed ſanctis offerre, eorumque tutelæ commendare? Equidem altaria ad uſus divinos & religioſos gratiarum actione ac precibus devotis deſtinanda Deo

(94) Conf. *Max. Reverend. DN. L. SIBERVS in Epiſtola, occaſione Ædis Smidebergenſis S. Trinitati oblatæ ad Illuſtr. Dn. Jo. Ægid. de Alemann ſcripta, de Templorum condendorum ac dedicandorum ritibus, XLII. p. 23. ſq.*

da Deo Triuni dicare, nihil habet vitii; at aqua lustrali ex cinere & sale præparata conspergere, ac sanctificare aras, illud est, quod superstitiosis hominibus originem debet, Deoque placere nequit.

§. XIV.

Præter hæc quædam adhuc, eaque paucissima de illicita cinerum è sanctorum corporibus remanentium veneratione in scenam producere liceat.

§. XV.

Vt autem dicamus, quod res est, cineribus ac reliquiis sanctorum adorationis cultum in Papatu attribui, satis liquet, quod ne falso ipsis imputari videatur, loquentem audiamus facile præcipuum ex Doctoribus Scholasticis *GABR. VASQVEZ.* (95) qui disertis verbis: *Apud Catholicos*, inquit, *veritas indubitanda est*, *reliquias sanctorum*, *sive fuerint partes ipsorum*, *ut ossa*, *carnes & cineres*,

(95) *GABR. VASQVEZ. Comment. in Tertiam partem Thomæ Tom. I. Quæst. XXV. Artic. III. Disput. CXII. cap. II. p. m. 751.*

neres, sive res aliæ, quæ ipsos tetigerunt, vel ad ipsos pertineant, adorandas & in honore sacro habendas esse.

§. XVI.

Neminem fugiunt tot superstitiosæ cinerum consecrationes, circumgestationes, exornationes, osculationes, coram iisdem in genua inclinationes apud Romano-Catholicos diuturna jam consuetudine receptæ. Eas hoc ordine signat *CHEMNITIVS:* (96) *Ossa cineresque sanctorum ex sepulchris eruunt, supra summum altare collocant, auro argentoque exornant, in processionibus solemnibus circumferunt, populo summa reverentia tangendas & exosculandas proponunt, easdem Pontificali auctoriate consecrant, coram ipsis in genua procumbunt, sanctos ipsos canonizant, & religiose adorant, eosdem invocantibus peccatorum indulgentias, variorumque beneficiorum temporalium & spiritualium merita promittunt.*

§. XVII.

At S. literis quantopere hæc adversentur, prolixius,

K h. l.

(96) *CHEMNITIVS in Exam. Concil. Trid. Part. IV. p. m. a. sq.*

h. l. perſequi, haud opus eſſe autumamus, cum iſta ſuperſtitio multis in ſcriptis (97) à Theologis jam ſatis ſit confutata.

§. XVIII.

Atque his ipſis pro virium modulo expoſitis, coronidem nunc toti huic qualicunque Diſſertationi imponimus. Etſi præſens ſpecimen pertenue fortè non aliorum

(97) Ex Noſtratibus poſſunt hac de re conferri *THEOD. THVMMIVS in Diſp. De* Εικονοσταυροσκελετολατρεία, *Membr. III. p. m.* 86. *ſqq. BATTVS in Diſp.* quæ inſcribitur: *Lipſanolatriæ Pontificiæ Sceleton. MICHAEL SIRICIVS in oſtenſione fundamentali Abominationum Papatus circa religioſum Creaturarum cultum L. II. cap. CLXI. p. m. 397. THOMAS STEGERVS in Diſp. de ortu & progreſſu cultus reliquiarum. JO. FECHT. in Diſp.* ſub rubrica: *Examen Conciliationis Doctrinæ Pontificiæ & Lutheranæ in Articulo de cultu Imaginum & Reliquiarum &c.* Ex Reformatis *JO. DALLÆVS adverſus Latinorum de cultus religioſi objecto traditionem Lib. IV. Cap. 1. ſqq. p. m. 582. ſqq.*

rum æquat conatus, plus ultra penetrantes, juvat tamen memorem esse verborum *SENECÆ:*

Æquat omnes Cinis & Finis!

Deo interim pro concessis viribus sit Gloria sine

FINE!

VIRO
SVMME REVERENDO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DN. CHRISTIANO Gotthülff BLVMBERGIO,

S. THEOLOGIÆ DOCTORI CELEBERRIMO,
ET
DIOECESEOS ZWICCAVIENSIS PRÆSVLI
VIGILANTISSIMO MERITISSIMOQVE

S. D. P.

D. JOHANNES SCHMIDIVS.

CVm tuus optimæ notæ Filius probe cognitum atque perſpectum haberet, ad comparan-

randam eruditionem non ſufficere, ut Studiorum Cultor apto ad litteras ingenio ſit prædītus, ſed neceſſum eſſe, ut illud omni contentione excolat: ipſe quoque præclaras animi vires à benigno Numine conceſſas non modo in Patria humanioribus litteris & Orientalium linguarum notitia pulchre expolire coepit, ſed in alma quoque noſtra ſtudiis indefeſſo ſtudio invigilavit, varioque ſcientiarum genere animum ſuum imbuere

ſtuduit. Cui laude digno conatui exoptatum reſpondiſſe ſucceſſum, haud contemnendi profectus, quos incluto Sapientum Ordini in Examine Baccalaureali probavit, teſtes luculenti eſſe poſſunt. Poſſunt idem teſtari exercitia, quæ primo philoſophiæ diademate ornatus neutiquam poſthabuit, ſed in publico acroaterio tum theſes Commilitonum examini propoſitas ſtrenue defendit, tum lectiones diebus Cerealibus non ſine

laude

laude habuit. Quam egregios etiam in Theologia pariter atque Philologia ſibi comparaverit profectus, Diſſertatione præſente, proprio Marte conſcripta, oſtendere ſategit. Non poſſum non itaque Tibi, Vir ſumme Venerande, de erudito juxta ac bene morato nec non paternorum meritorum obſervantisſimo Filio ὁλοψύχως *gratulari, & præclara quæque de eodem polliceri. Vale, & eccleſiæ commodo quam diutisſime vive!*